

97

VOTA  
SOLUTA,  
Cūm  
VIR  
GENEROUS, PER-MAGNIFICUS,  
& Perquād STRENUVS,  
DOMINUS,  
Dn. REINHOLDU.  
WIDERUS,  
REPUBLICÆ GEDANENSIS  
PRÆ-CONSUL MERITISSIMUS,  
&c. &c.  
PRÆSES  
Denuò  
dignissimus  
A. M DCCVII. XVI. Calend. April.  
solenniter crearetur,  
quos Honores summos  
inter cumulatos labores  
observantissimè  
gratulari voluit  
ac  
debuit  
JOHANNES ERNESTUS SCHRÖDERUS,  
R. S. C.

---

GEDANI,  
Typis JOHANNIS ZACHARIÆ STOLLII.

**S**alve fauste Dies, dexter, prosperrime, salve  
Fortunate Dies, quem mea vota volunt.  
Salve læte Dies, mira dulcedine sensus  
Demulcens, miseris qui ratione jacent.  
Salve optate Dies, quo vix optatior alter,  
Quem desiderii candida summa petit.

Te jam mente diu, te præoptavimus ore,  
Quod pateat cultus officiique modus.  
Et Sensus tandem nostri rata vota videmus,  
Quæ quantum placeant, langvida penna tacet.

Hoc modò sollicito pectus quatit usque dolore,  
Quod tristis venâ paupere rivus eat.

**MAGNE VIR**, eximiis natalibus inclite, major  
Ingenio magnis, Judicioque gravi.

Urbis Amor nostræ florens, genuina voluptas  
Castalidum, Patriæ Gloria, Stirpis Honor.

Quem natalis Humus non tantum splendida novit;  
Sarmatici Regni magna sed Aula colit.

Officium justo cultu perfecimus olim,  
Cum fasces primos Curia nostra daret.

Pro meritis verò nequicquam Musa canebat,  
Quæ meritis impar omnibus una fuit.

Insuper ingenium vano petit astra labore,  
Dum miserum semper fata sinistra premunt.

Et Clio rursus lucem timuisset apricam,  
Ni meritum majus grande timore foret.

Hoc simul innatum felici fine pudorem  
Sustulit, invito qui malefatus obest.

Sollicitudo tamen lacerat præcordia major,  
Quod morbi vexent, quem celebrabo, **VIRUM.**

Hactenus haut paucis pressus cruciatibus æger,  
Dum salvum cupiunt, Curia, Tecta, Genus.

Grata valetudo jacturam passa recentem,  
Urbs dum tota timens vota sacrata vovet.

Jam

Jam dudum flagras, **VIR MAGNE**, cupidine mortis,  
Cùm vitam voveant Incola, Templa, Tui.  
Erige membra, caput, corpus, frontem erige, mentem  
Erige, TE clemens erigat ipse **DEUS**.  
Gratia Cœlestis medicamina prosperet omni  
Effectu, perstet quò rediviva salus.  
Non raros sanet felix medicina dolores,  
Et tollat, quod TE conficit, omne malum.  
Accipe jam reduces summos, quos Curia tradit,  
Fasces, quos meritum poscere jure valet.  
Accipe non ægrâ venerandas mente Secures,  
Accipe, virtutes quas meruere Tuæ.  
Concilium **PROCERUM** tantos gratatur Honores,  
Et, meliora optans, fatâ priora dolet.  
Jubilat Urbs, Vallum, Vicus; Sed jubila mœror  
Imminuit, redeat quin malus ille timor.  
Jam semel imperium nostræ Tibi contigit Urbis,  
Quod quoque transactum non sine laude fuit.  
Deposunt iterum TE Patres, Curia, Cives,  
Ac fatum levius dexteriusve vovent.  
Tunc **TIBI** gratari, nostrarum Gloria rerum,  
Non potui, quoniam cura dolorque vetant.  
Nunc votum nostrum est, ut vires usque labori  
Sufficient isti, qui mihi gratus erit.  
Non ingrata **TIBI** fuerit, **VIR MAGNE**, voluntas,  
Si non pro meritis laus resonare queat.  
Excelsus TE animus, casus æqualis in omnes,  
Et quovis major turbine, ad astra vehit.  
Et tamen es placidus, TE vix moderatior alter,  
Cor natura Tibi molle benigna dedit.  
Ingenii felix acies TE reddidit amplum,  
Ac animi magnum vivida flamma facit.  
Dexteritate viges mirâ, ferventior igne,  
Cùm res magna manus auxiliumque cupit.

Innumerâs

Innumeras laudes Probitas maturior auget,  
Inter virtutes eminet ipsa Fides.  
**C**onsilio præstas, generosus pectore, præstas  
Auxilio, **TU** Spes certa salutis eris.  
**TU** benè mente malum circumspicis omne sagaci,  
Nec quisquam casus **TE** latet atque metus.  
Sed quid virtutum conor meminisse tuarum,  
Majores omni quæ **TIBI** laude manent?  
Atque Virum tantum durissima tempora poscunt,  
Quem celebrem rerum docta magistra probat.  
Sume igitur Fasces, manibus qui jure verendis  
Debentur: **TU** Urbem jam rege, Templa, Forum.  
Sit **TIBI** fortunatus Honos, sit latus, amoenus!  
Sit felix, iterum qui **TIBI** summus adest!  
**PRAESIDE** **TE** digno mox ferrea tempora cessent,  
Aurea mox redeant secula, Phœbus agat.  
**PRAESIDE** **TE** blandæ firmetur credula Pacis  
Spes, quæ suspensos hactenus ægra tenet.  
**PRAESIDE** **TE** fluvii crescant, mare Gaza coronet,  
Floreat & rursus publica ritè Salus.  
**PRAESIDE** **TE** latae Aonides & Apollo triumphant,  
Omni justus honos, sitque cuique suum.  
**PRAESIDE** **TE** Charites sibi figant oscula, regnet  
Eusebie, & teneat sceptræ decora Themis.  
**PRAESIDE** **TE** Titan surgat fulgentior Urbi,  
Atque dies fato candidiore fluant.  
**PRAESIDE** **TE** cives hilares sua jubila fundant,  
Nec plausus unquam dememinisse velint.  
Corporis alma **DEI** reparet clementia vires,  
Et firmer mentem, consiliumque beet.  
Hos fasces videas in prosperitate verendos  
Sæpiùs, & laudes sidera celsa petant.

(o)

